



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

[XXXVI.] Parisiensem adit vniuersitatem, vnde quotannis in Belgium ad eleemosynas excurrit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

des, quin eius amore expectant multo plures, pro quo hanc vnam gero quam putas etiam grauiorem.

*Parisiensem  
adit vniuersi-  
tatem, vnde  
quotannis in  
Belgium ad  
eleemosynas  
excurrit.*

Dies aderat vigesimus tertius ex quo Ignatium catena, & carcer mace-  
rabant, accitur ab Iudicibus, tandem cum sociis, restituitur in pristinam li-  
beratem agendi docendique, dumtaxat quamdiu non esset Theologus ab-  
stineret à culpis lethalibus, & venialibus discernendis, haud quidem in pœ-  
nam vllius erroris. Verum quod ea res ita sit lubrica, vt etiam docti de ea  
timide decernant. Putarunt Iudices, & in iis Frias ciuilitatis officio se perfun-  
ctos quo dignum censebant Ignatium, & persecuti sunt singulari beneuo-  
lentiā recedentem; sed hinc longè diuersa confecit Ignatius, vt qui prof-  
pectu longiore animaduerneret hac, quam vocabant, libertate, sibi silen-  
tium imponi, ab se enim peccatum impugnari, vt impugnabatur vicissim à  
peccato, tot accusationum & hostium authore, iam si perpetrata in Deum  
scelera damnaret, pronum fore, ansam captantibus, dicere definitam ab eo  
peccati grauitatem, & infracta iudicum præscripta. Quare tribus à carcere  
lapsis hebdomadis, per amicorum retinentium officia, & preces, modestè  
reiectas Parisios contendit, eoque mense Februario anni 1528. peruenit.  
Illic aliquot Hispanorum contubernio, adiungit sese, conducto ex eleemo-  
synis inter eos loco, quas Barcinone acceperat, ne iis corrogandis studia  
turbarentur, quæ nimium expertus senserat esse ordinatius regenda, & ab  
humanitate retexenda. Verum consumpto perfidia socij, aureorum vigin-  
tiquinque deposito, compulsus est tectum in S. Iacobi, Hospitali domo,  
panem verò quærere ostiatim: distabat plurimum ea domus à montis acuti  
collegio in quo humaniores discebat literas; & clausæ ante noctem fores  
nisi clara iam die non patebant; vnde truncas solum, & mutilas præle-  
ctiones referre cogebatur; nec vlla valuit amicorum diligentia obtinere vt  
professorum cuiquam inseruiret, hero pariter, & Magistro cui vice Christi,  
sodalibus tanquam Apostolis operam nauaret. Necessitate igitur consiliaria  
& religioso amico suggerente, per vacationes autumnales in Belgium ex-  
currens, à mercatoribus Hispanis corrogabat, quod in sumptus anni se-  
quentis sufficeret; & protendebatur excursio, interdum in Angliam, quæ Ca-  
tholica tunc erat Sed displicuit ea res Ioanni Maderæ qui erat Ignatij po-  
pularis, & Lololæis dedecori credidit, quasi opibus essent adeo accisis,  
vt non possent; vel tam fordidè parci, vt nollent consanguineo adesse.  
Quare aliquando Ignatio religionem iniicere vehementer sategit manifestæ  
in suos iniuriæ, quorum ita famam deterreret, cuius ipse Dominus non  
esset: atque in hoc Ioannes hærebat tam pertinax vt ab eo errore nullis  
potuerit Ignatij rationibus abduci. Quæstionem ergo præcipuis aliquot  
Sorbonæ doctoribus examinandam scripto dedit, possetne vir nobilis, ab-  
dicato ob Christi amorem sæculo, absque suorum, dedecore passim ele-  
mosynas quærere? quorum vnum, & consentiens responsum nullam scili-  
cet in eo suspicionem culpæ esse, Ioanni exhibuit, haud quidem tam sui  
defensor quam voluntariæ paupertatis quæ nobilitata Christi amore, &  
exemplo,

exemplo, ne regias quidem obscuret familias, ex quo tamen quis esset, mercatoribus certo innotuit, curabant literis per argentarios annuas illi eleemosynas numerari, quibus non modo ali possent, verum & socios Fabrum, Bobadillam, & alios liberaliter subleuare.

Verum ea quam dixi causa in Belgio diuersanti euenit, quod in eo sanctis adscribendo, iurati testes, indubitatae fidei tradiderunt, nempe Ignatium tanto ante, à Deo edoctum se fore Societatis patrem. Negotiabatur Antuerpiæ iuuenis patria Metinnensis Petrus Quadratus, huic dum manum ad stipem porrigit quam sane ex eo accipiebat, liberalem, prospexit diuinitus quanto largiorem esset quondam ex eo accepturus defixisque in eum oculis. Erit, ait, cum tu Domine mi, tam benigne nunc in me beneficus, tua in patria, religiosæ familiæ Collegium fundabis, quàm per me nihili hominem, editurus est in lucem Deus. Fecit oraculi nouitas; modusque tam certo asserendi, & partum iam, auctumque deinceps apud omnes sanctitatis nomen, vt mercatoris animo, nunquam ea verba exciderint; & Francisca Mansonia eius vxor, primis Societatis primordiis, in quemcumque nostrorum incidisset, consueuerat hoc idem memorare: fidem varicinio euentus fecit, fundatumque Metinnæ à Quadrato Collegium, prædictam cum Societatis ortu foundationem eius confirmauit. Dignum quoque literis quod ei accidit, cum Ludouico Viues homine cordato, magnaque eruditionis: Is cum Brugis Ignatium ad mensam, siue vt pauperem, seu alio titulo habere voluisset, agentem audiens de rebus diuinis, tam sublimi stylo, tantæque peritia recondita pietatis, hæsit attonitus, ac post eius discessum, iis qui aderant, hic inquit, planè est vir sanctus, & religiosum ordinem quandòque fundaturus, adeò in illo iam tum eminebant ingentis animi ad Dei gloriam opes eximia, vt quæ esset olim patraturus vel humano possent iudicio conici.

Neque verò (quod dictum sapius) id eum latuit, ex quo factum vt curas adiceret nouo delectui hominum habendo quorum par esset animi suppellex magnis rebus quas designauerat in Dei gloriam gerendis. Nouo, inquam, delectui, nam illi quatuor quos ante legerat, instar fuere sterilium feminum quorum herbescens viriditas spem fallit agricolæ, cum æquis se passibus vidissent non posse gigantem affectari, & quocumque pedem intulissent, inde continuo delatores, calumnias, carceres, catenas enasci. Præter emendicandi victus penuriam miseram, boni licet viri, vitæ sibi hoc genus putarunt fore non tolerabile, nec ei profecto pares esse alij poterant nisi homines excoctæ & Heroicæ virtutis. Quamuis, ei primus eorum feruor patienter se accommodasset; in eo autem Ignatius velut in delitiis nataret. Quare alius alio paulò felicius, sed in diuersa omnes abierunt. Calistus peregrinatus in terram sanctam, velut tacto; è cælo, humi reuolutus mercaturam fecit, & lucri avidus Indiam petiti; quique Ignatio, constanter adherens, Xauerius alter esse potuerat, deserto illo tenuis mercatoris, & vitam, & mortem obiit. Infulis inhians Arriaga in Americam nauigauit,

XXXVII.

XXXVIII.

*Primorum  
Ignatij Socio-  
rum leuitas,  
& exitus in-  
salix.*